

utrumque judicem: nimurum per judicem Ecclesiasticum pronuntiatur super crimine in quantum est Ecclesiasticum sive commune, ut vocant; per judicem autem Civilem pronuntiatur super eodem crimen in quantum est privilegium, & uterque judex penam criminis sub una & altera consideratione convenientem imponit: & ita per solemne Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1631 ordinatum fuit, veritatemq; iudicibus Regis proferre sententiam conjunctim cum judice Ecclesiastico.

XL. Hinc licet accusatus esset absolutus a judice Ecclesiastico, posset nihilominus super eodem delicto, in quantum est privilegium, condamnari per judicem Regium; & ita judicatum anno 1604. Vide Claudio le Prestre Cen. I. cap. 20. ubi & notat, quod etiam judex Regis possit procedere ad sententiam mortis, non obstante sententia absolucionis judicis Ecclesiastici, si crimen in quantum est privilegium, taliter penam merceretur: quia sententia judicis Ecclesiastici nullatenus constringit judices Regios, in quantum est crimen privilegium.

XLI. Hinc judex Ecclesiasticus Clericum incarcerauit & suo carcere dimittere non potest, quamdiu sententia judicis Regii non satisfecit reus, nisi confessus ipsius judicis accesserit; rametis a judice Ecclesiastico fuisse absolutus vel

pena

a judice Ecclesiastico imposita satisfecisset. Le Prestre loco citato n. 9. Diciturq; in annotationibus ad arresta Paponi lib. I. tit. 5. arresto 35. ita in Camera criminali anno 1586. decretum fuisse.

XLII. Insuper quia utraq; sententia est planè separata & a diverso judice prolatâ, si accusatus appelleret, Curia Regia non solet recipere appellationem, nisi quae est a sententia judicis laici: aliam autem remittit ad Superiorum immediatum judicis Ecclesiastici, a cuius sententia appellatur: & huius quidem adeo deserit Curia Regia, ut supercedeat ipsa quoad appellationem a sententia judicis laici, quousq; in causa appellationis per judicem Ecclesiasticum etiam per tres sententias conformes, pronuntiatur. Ut nota Le Prestre ibidem.

XLIII. Hic ferè est hodiernus procedendi stylus quoad delicta privilegiata, sive non merè Ecclesiastica in Gallia observari solitus, qui haec tenus nullo Regio Edicto in Belgio prescriptus aut expressus scitur; neque consuetudine aut usum introductus.

XLIV. Equidem illud negari nequit, quin & hic in Belgio crimina nonnulla habeantur pro privilegiatis, & eos sensu de his judex Regius possit contra Clericum, non obstante privilegio Clericali, cognoscere; ut notat Damhauder in Praxi Rerum Civilium c. 124. ubi imprimis dicit, Clericos teneri responderet coram suo Princeps, aut coram ejus Concilio de publica fidei, salvaguardia live securitatis violatione. Item de armorum gestatione, & aliis similibus causis privilegiatis. Deinde n. 26. dicit, Intelliguntur privilegiatae causæ criminis enormia qualificata, & quæ Princeps sibi reservat, veluti crimen laicæ Majestatis vel divinæ vel humanae, & cætera ibidem enumerata; in quibus dicit, Curiam Gandensem nullam admittere remissionem & pluribus confitnat ibidem in notis Nicolaus Tuldenus.

XLV. Concordata Brabantæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem tit. 6. qui inscribitur De Actionibus competentibus contra Clericos prima Tonsura, postquam exprefserunt conditiones requiritas in Clericis conjugatis vel non conjugatis primâ Tonsurâ insignitis, ut privilegio fori gaudeat queant (de quibus conditionibus agit capite sequenti subiectum), „Hi omnes Clericali officio gaudebunt, etiam in criminibus membi amputationem, aut capitalem penam, seu corporis afflictivam inferentibus..”

Post hæc art. 8. per modum exceptionis additur: „Non in enormibus, utpote hereticis, mandatis Principis contraria, venientibus, raptoribus virginum, homicidis ex proposito, vel per insidias, incendiariis, grassatoribus, famosis latronibus, depulatoribus agrorum, & similibus..”

XLVI. Ex his manifestum, quod Concordata hæc non omnia crimina, etiam Clericorum conjugatorum prima tonsura habeant pro privilegiatis, quantumvis adeo gravia, ut

etiam capitale penam, seu corporis afflictivam inferant, sed tantum enormia quæ quasi directe ad Reipublicam & Status politici turbationem & eversionem tendunt.

XLVII. Porro concordata hæc tantum loquuntur de simplicibus Clericis sive conjugatis sive non conjugatis, hosq; etiam in delictis quantumvis penâ corporali puniendis, modo tamen non sint ex enormioribus, in munitate Clericale gaudere declarant: de Clericis autem in sacris constitutis non loquuntur: ut hos juri communis quodam usum hujus immunitatis reliquæ videantur: referitq; Zypaus in De Foro compet. n. 37. Concilium Brabantæ Presbyteros de criminis enormi convictos remissile ad judicem Ecclesiasticum.

XLVIII. Neq; mirum videri debet, si Flandriæ magis, quam Brabantia moribus & praxi Gallicanis consentire. Notum quippe est, quod ante institutum anno 1473. à Carolo Burgundione Parlamentum Mechliniense, Flandriæ suo Senatu Provinciali appellavit ad Parlamentum Parisiense; uti monet Damhauder in Praxi rerum civilium c. 6. notatq; n. 4, quod Parlamentum Mechliniense in locum Parisiensis sufficit, hujus Parlamenti sete modum, ritum, institutionem, & auctoritatem referat. Quid mirum igitur, si Flandriæ praxia & mores Parisienses tamen etiam sequuntur.

XLIX. Porro sicut ob criminis enormitatem Clerici nonnumquam suo privilegio privantur, ita quoq; eodem non gaudent, quando alio quam Ecclesiastico officio sanguinatur, atq; circa illud delinquuntur quod tunc non ut Clericis sed ut Officiari considerentur; eaq; delicta non habeantur pro delictis Clericorum; sed laicorum seu Officiariorum laicorum, quorum officia Clerici obeuntur.

Hinc citata Concordata art. 8. expresse declarant, quod Clericus Clericali privilegio non gaudebit, quando contra statuta officiorum delinquentur; id est, Officiorum laicorum, quibus fungitur.

L. Notat idipsum Nicolaus Tuldenus in annotationibus ad c. 124. Damhauder in Praxi rerum Civilium sacerdotis, id procedere, in Clerico, licet in Sacris constituto, officium sa- cularis gerente, in eo q; delinquentे: ut puniri possit pro modo delicti, per captionem temporalitatis, ac venditionem immobilium, privarique ac suspendi officio in quo deliquerit. De conformi praxi Gallie jam pridem testatus est Guilelmus Benedicti ad Cap. RAYNUTIUS, verbo &c. xorem n. 447. dicens, Tertio cognoscit Rex & ejus Officia, rii ubicunq; Clericus licet in Sacris constitutus officium sa- cularis gerens delinquat in officio quo puniri possit pro modo delicti per captionem temporalitatis ac venditionem bonorum immobiliarum. Et si casus hoc exigeret, privati aut suspendi officio in quo deliquerit, quod est de casibus privilegiatis secundum aliquos, & ita servari, ti est consuetum in regno..”

LI. Ex his quæ haec tenus dicta sunt, non difficile erit intelligere, quod sensim tribunalia Laica & Regia auctoritatem sive jurisdictionem in Clericis de criminibus accusatos præterident, non tantum ultra prescripta Canonum & Juris Communis, sed & ultra ipsas Regias Ordinationes adfigendos limites utriusq; jurisdictionis expressè editas. Quantopere de hac ampliatione jurisdictionis Laicæ conquistat sunt Episcopi proxime clauso saeculo, ex Synodis Provinciaibus tunc celebratis videri potest.

LII. Sed si Episcopi suos Clericos, ac presentem in Sacris constitutis à Laicis judicari & puniri nolint, imprimis provideant, ut non citò manus imponant; sed primum diligenter examinet, num iis motibus sint, ut flagitia, quibus res publica turbetur, ab eo non timeantur.

Ulterius si contingat, Judam aliquem aut similem perditum hominem irrepercere, criminibus non conniveant, sed pro debito puniantur; idq; penâ ipsi criminis condignâ; negiunt Episcopi eorum. Officiales ex illis, de quibus jam pridem dixit Guilelmus Benedicti loco citato numer. 448. „Omnia delicta quantumcumq; gravia in pecuniam con- vertunt..” Et quod deterret est, si aliquem etiam pro gra- viissimo crimen condemnaverint ad perpetuum carcere,

Tit. III. De Jurisdictione Criminali Cap. III.

969

„semper in fine sententia gratia Domini Episcopi & misericordia reservatur.... Cuius Clauilæ virtute penam perso- na delinquentis in detrimentum bursæ, qua non deliquit, convertunt. Ex quo cum justitiam veram de Clericis non faciant, ex isto inconveniente, quia eos non puniunt, sequitur aliud inconveniens, quod sapè Judices seculares de eis justi- tiam faciant, & eos puniant.

Et quia Episcopi in criminum punitione per frequentes appellationes & recusationes, aliaque similia à facinorosis hominibus facile impediuntur, rursum spes exigua affulget, integrum Clericorum immunitatem restituendi, ni hisce appellacionibus & recusationibus modus apponatur; quia his sic stantibus, videbunt Judices Regii, quod criminis manebunt impunita, id nonnunquam cum summo Reipublicæ detimento, si ea jurisdictioni Ecclesiastice relinquantur.

CAPUT III.

Qui Clerici privilegio fori gaudeant?

1. Attento jure Decretalium omnes indistinctè Clerici etiam prima Tonsura gaudent privilegio fori.

2. Similiter & juxta pristinos Canones, & Principium sanctiones.

3. Id ipsum supponit Pontificale Romanum.

4. Canones omnes Clericos habent pro Ministeri Ecclesiæ.

5. Hoc quoque indicant ceremonia prima Tonsura.

6. Insinuat etiam Synodus Tridentina.

7. Merito iniciati prima Tonsurâ tamquam Ministri Ecclesiæ hoc privilegio gaudent.

8. Matrimonium non obstat, quomodo Clericus sit Minister Ecclesiæ.

9. Hinc clericis conjugatis communicatum hoc privilegium.

10. Clericus propter ministerium Ecclesiæ datum hoc privilegium.

11. Circa seculum 13. & 14. canonista primam Tonsuram Ordinibus annumerare coepit, & efficaciam imprimenti characterem ei tribuerit.

12. Hinc immunitatem in ipsam Tonsuram, & non in ministerium Ecclesiæ refuderunt.

13. Id supposuerunt Pralati Gallia coram Philippo Valefio saeculo 14.

14. Hac opinione recepta omnes passim etiam sceleratissimi se à jurisdictione Laica substrahebant.

15. Hinc justa laicorum querela de imputante criminum, & extensione hujus privilegii contra intentionem Canonum.

16. Querela Petri Cugnerii super hoc articulo.

17. Querela laicorum renovata circa tempora Concilii Tridentini.

18. Synodus Tridentina constitutionem Bonifacii VIII. de clericis conjugatis renovavit.

19. Addidit clausulam, qua ostendit, hoc privilegium non attribuita nuda tonsura.

20. Decretum Synodi Tridentina circa clericos non conjugatos.

21. Hic rursus ostendit, privilegium non dari ob nudam tonsuram.

22. Quod dicenda vestes clericales, & quandonam censoriarum clericis abiecisse vestes clericales remissive.

23. Clericus tonsuratus etiam non conjugatus captus in vesti laicali forum secularis declinare non potest.

24. Clericus conjugatus faciliter privat in privilegio fori quam non conjugatus.

25. Aliquando in Gallia ordinatum fuit, ut soli clerici in sacris constitutis gaudent hoc privilegio.

26. Hoc postmodum extensus ad beneficiarios & scholares.

27. Hoc extensus videtur convenire cum Decreto Concilii Tridentini.

28. Ex mente Synodi Tridentina clericus serviens Ecclesiæ, aut studens etiam sine speciali mandato aut licentia Episcopi gaudet hoc privilegio.

Van Eppen Jur. Eccl. P. III.

29. An clericatus, postquam delictum aliquod est commis- sum, tribuere soleat privilegium fori?

30. Clerici non servantes conditiones a Synodo Tridentina praescriptas excludunt privilegio sine prævia moritione.

31. Clericus deponens vestes clericales non in perpetuum privatur hoc privilegio, sed resumpio habitu recuperat.

I.  Tento Jure Decretalium, Clericos omnes & indistinctè gaudent privilegio fori, com- munis est Canonicarum sententia fundata in generali ac indefinite expressione Decretalium de hoc privilegio loquentium, ac notanter Cap. 2. in De Foro comp. ubi sub nomine Concilii Parisiensis dicuntur: “Nullus Judicium, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Ecclesiæ, sine permisso Pontificis per se distingere aut condemnare presumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignocit, tamdiu sit sequeltratus, quoisque reatum suum cognoscet & emendet.”

II. Similiter & veteres Canones, necnon Principium Sanctiones de auctoritate & jurisdictione Episcoporum loquentes, omnem indefinitivæ Clericorum Episcopis subiungunt, omnesque generatio Clericos de foro Episcopi esse suppont.

III. Quare de Pontificale Romanum etiamnum hodie supponit, Tonfuratos per susceptionem primæ Tonsuræ constituti de foro Ecclesiæ. Post collatum enim Tonfuram, ex prefcripto Pontificis Episcopus alloquitur novos Tonfuratos, dicens: “Fili charissimi, animadverte debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia Clericalia fortissimi estis; cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis; & habitu honesto, bonis moribus, atque operibus Deo placere studeatis.”

IV. Neque sane mirandum, jam pridem sub hoc privilegio indistinctè omnes Clericos, etiam prime Tonsuræ & minorum Ordinum, fuisse comprehensos: quia supponebatur, ut & hodie Ecclesia desiderat, quod omnes Clerici reverè essent ministri Ecclesiæ, atque reipsa conversatione & habitu ita se exhibere, ut omnibus manifestum esset, se velle Ecclesiæ, & non saeculo servire.

V. Id quoque hodiernæ ceremonia & preces, quas in collatione primæ Tonsuræ Pontificale præscribit, ostendunt.

Ut quid enim habitum saecularem deponunt, & habitum sacra religionis induunt, nisi ut se saeculo renuntiare, & religioni militare post hac velle demonstrent? Unde & Episcopus ad impositionem vestis Clericalis ad Deum se convertit, suplicans: “Quibus in tuo sancto nomine habitum sacra religio- nis imponimus, ut te largiente devoti in Ecclesiastica persi- stere mereantur.”

VI. Et Synodus Tridentina Se. 23. cap. 4. De Reformat. præcipit, ut ii dumtaxat Tonfurâ iniciantur, “de quibus probabilis conjectura sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidem cultum præstent, hoc vitæ genus elegiſe.”

VII. Dum igitur prima Tonsura juxta Ecclesiæ intentionem, & regulas ab ipsa præscriptas fuit collata, merito etiam primâ Tonfurâ iniciati sub hoc privilegio comprehendunt, & de foro Ecclesiæ constituti; ut potè ejus ministerio re ipsa adscripti, & eidem juxta conditionem suam ad præscriptum Episcoporum incumbere parati.

VIII. Cum autem nec Matrimonium obstat, quod minus quis servitio Ecclesiæ insisteret, & ei se totaliter consecrare queat, nec Conjugati Tonfurâ Clericali initiati, hoc privilegio fraudati debuerunt; nec Ecclesia ob contractum ab iis Matrimonium, auctoritate in suos Ministros privari.

IX. Hinc ex citata Decretali sub nomine Concilii Parisiensis tamquam consequens declarat Bonifacius VIII. in Cap. Unico De Clericis conjugatis in VI. “Clericos conjugatos pro commissis ab iis excessibus vel delictis, trahi non posse criminaliter aut civiliter ad judicium saeculare: nec ac ipsis saecularibus judicibus eos debere personaliter, vel

M m m m etiam

, etiam peculiariter (ne per unam viam concedatur eisdem jūdīcībus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari."

X. Non immerito ergo omnes Clericos privilegio Clericali comprehendebant non tantum Synodorum Canones, sed & ipsorum Principum Sanctiones, quia omnes indistincte Clericos divinis obsequiis mancipatos supponebant, quemadmodum expressit Constantinus M. non obscurè in Clericale obsequium ipsam immunitatem refundens, in L. 2. Cod. Theod. d' Episcopis & Clericis: "Qui divino cultui ministeria reli-gionis impendunt (id est hi, qui Clerici appellantur) ab omnibus omnino muneribus excusentur; ne sacrilego labore quorundam à divinis obsequiis avocentur."

XI. Verum cum circa seculum 13. & 14. cœpissent Canonistæ Tonsuram Clericalem Ordinibus annumerare, ei-que etiam efficaciam imprimendi characterem indelebilem tribuere, una cœperunt docere, Tonsuratos per nudam & simplicem susceptionem primæ Tonsuræ fieri personas sacras.

XII. Ex quo ulterius concludebant, primâ Tonsurâ initiatos à foro seculari, tamquam personas sacras seu sacratas esse exemptos, tametsi nec Tonsuram, nec habitum Clericale gestarent; eo quod supponerent, per Tonsuram imprimi characterem independenter ab omni servitio aut habiti Clericali.

XIII. Id supposuisse Episcopum Eduensem, qui nomine Prælatorum Gallæ pro immunitate Ecclesiastica decerbat cum Petro Cugnerio coram Philippo Valesio, patet ex illius responsu ad articulum 30. ejusdem Cugnerii. Articulus Cugnerii erat: "Item si coningat, quod Gentes Regia capiant ali-

„quem malefactorem pro crimen certo per eum commiso, „& idem malefactor dicat, se Clericum esse, licet nec Tonsu- „ram, nec habitum deferat Clericales, officiales prælatorum „faciunt in continentis detinentes & capientes compelli per „monitiones & sententias ad restituendum sibi prædictum „malefactorem tamquam Clericum statu."

Huic articulo respondit Eduensis: "Ad 30. (articulum) qui loquitur de Clericis conjugatis captis in habitu laicali: dicit, quod tales pro eo, quod non deterunt Tonsuram, vel habitum Clericis congruentem, non amittunt privilegium Clericale: unde si fit notiorum iudicii Ecclesiastico, tales esse Clericum, vel fama sit publica super hoc, idem iudex sine causa justiuscum injuria potest ad restitutionem talis Clerici justiam compellere seculari."

Hoc responsum manifeste supponit, quod sufficiat esse Clericum, ut quis fori privilegio gaudeat, & captus à iudice laico restituendus sit iudicii Ecclesiastico, tametsi nec Tonsuram, nec habitum deferat Clerici congruentem.

XIV. Porro hæc persuasione de characteris impressione per simplicem & nudam Tonsuræ susceptionem semel receptâ, ostium erat apertum, quo omnes passim se à jurisdictione laicali subducerent, & pœnas per judices laicos criminibus congruentes infigendas impune evaderent; idque tam conjugati, quam calibes cuiuscumque conditionis tametsi nec de statu Ecclesiastico astimendo, aut habitu & Tonsura Clericali gestando cogitarent, modo tantum primâ Tonsurâ initiantur. Nec illud difficile erat, tum quod officiales defiderant plures suo foro subiectos, tum quod etiam Ministri Episcoporum exinde lucellum captarent. Nec deerant Episcopi, qui suis Ministri benefacere volentes, quin ex lucello illo nonnumquam participantes, facile ad Tonsuram quoslibet admittirent, maximè cum tunc & Episcopi Titulares sibi auctoritatem Tonsuram & Ordines conferendi in aliena Diœcesi arrogarent, & lucrum exinde quererent, quemadmodum ex Decretis Synodi Tridentina, quibus hi abusus refecantur, haud difficulter potest intelligi.

XV. Mirum ergo videri nequit, si laici quererentur, hoc pacto passim sceleratos homines, nihil præter nudam Tonsuræ impressionem habentes, titulo privilegii Clericallis à jurisdictione laicali eximi, atque hoc pacto sceleris atrocissima manere impunita, idque contra intentionem eorum,

qui privilegium hoc veri Clericis, sive Ministris Ecclesiæ, qui & conversione & habitu se tales exhiberent, indulgere voluerunt.

XVI. Inter articulos Petri Cugnerii erat hic 49. "Item fa- ciunt Prælati Tonsuras hominibus 30. annorum & ultra, & etiam conjugatis aliquibus, quando veniunt ad eos mensu intrusionis carceris, & punitionis alicuius criminalis delicti, quod anteä perpetraverunt, & hoc plures fuit factum."

Querela Guilelmi Benedicti facilis Tonsuratione cuiuslibet generis & artifici hominum, & quomodo hac ratione crimina manerent impunita, citavimus Capite praecedenti.

XVII. Nec circatempora Concilii Tridentini cessarunt querela laicorum de impunitate criminum etiam atrocissimorum, quæ obtenuit hujus privilegiu obvinebatur, ut videtur est à gravamine 31. inter gravamina à Principibus Germania sub id tempore Sedi Apostolicae oblato; & litteris Francisci De Vargas Oratoris Regis Catholici in Concilio Tridentino ad Episcopum Atrebatensem datis 26. Novemb. 1551. in quibus aliter de hoc excelso conqueritur.

XVIII. Ut his querelis satisfaceret Synodus, imprimis renovavit Constitutionem Bonifaci VIII. de Clericis conjugatis, addens hanc clausulam: "Modo hi Clerici (conjugati) alicuius Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent; & Clericali habitu & Tonsurâ utantur, nemini quoad hoc privilegio vel confuetudine, etiam immemorabili suffragante." Seeb. 23. cap. 6. De Reformat.

XIX. Hac clausula sat ostendit Synodus, privilegium hoc Clericale non ob nudam rationem capillorum ut ceremoniam illam Tonsuram esse indultum; sed maximè propter ministerium, cui per ipsam Tonsuram fit applicatio, sive datur introitus.

XX. Circa Clericos non conjugatos declarat, quod nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obveneret." Deinde subiungit: "Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; Clericale habitu & Tonsuram deferens, alicuius Ecclesiæ ex mandato Episcopi serviat, vel in Seminario Clericum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quia in via ad majores Ordines sufficiendos veretur."

Non obscurum est, Synodus hic æquiparare initiatum primâ Tonsurâ, & initiatum minoribus Ordinibus: atque in iure quoque requirere hic expressas conditiones, ut privilegio fori gaudente queat.

XXI. Ulterius sat manifestum, Synodus non refundere hoc privilegium fori in nudam & solam Tonsuram Clericale aut minorum Ordinum susceptionem; qui in hoc, quod quis ministerio Ecclesiastico sit actualiter applicatus, aut saltem se impendat, ut Ecclesiæ servire queat.

XXII. Circa vestes sive habitum Clericalem multa prescribunt Concordata Brabantia inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem tit. 6. quod Clericos conjugatos & similes; sed quod omnia videntur eo tendere, ut Clerici illi habitu externo se Clericos esse ostendant, aut saltem à laicis distinguant. Quæ enim sit vestis Clericalis, ex locorum & temporum conditione desumendum esse, ostendi parte 1. tit. 2 cap. 2. ubi una notatum, quoniam Clerici vestes Clericales ab eis cœntur, ut privilegio fori excedant, & pœnis Canonicas contra non gestantes vestem Clericalem decretis puniantur.

XXIII. Clericum Tonsuratum non conjugatum, & in alio quam Clericale habitu captum, pro illa vice forum declinare non posse, nec privilegio uti, iudicatum esse anno 1584. refert Paponius lib. 1. tit. 5. arresto 42. & in annotationibus idipsum non semel alias iudicatum dicitur.

XXIV. Item Arresto 47. refert iudicatum esse, Clericum conjugatum non gaudere privilegio fori, qui captus fuerat

Tit. III. De Jurisdictione Criminali Cap. III.

in ueste non quidem omnino laicali; sed tamen aliquatenus ad eam accedente; monstret Paponius, quod aliud fore in Clerico non conjugato: "Hoc catu quippe (ait) major habitus dislocatio requireretur, & facilis conjugatus privilegium suum amittit."

Nec immoritò. Licet enim conjugium absolutè Clericatu non repugnet; dubium tamen non est, Clericum per conjugium præsumti ad statum sacerdotalem velle divertere; quæ præsumptio tunc per habitum aliquoquinque ad laicalem accedenter perficitur.

XXV. Edicto Molinensi anno 1566. cautum fuit in Gallia, quod nullus Clericus gauderet privilegio fori, nisi ut minus esset Subdiaconus, actualiter residens, & Divinis inserviens. Verba Edicti sunt: *Que nul de nos sujet soy disant Clerc ne pourra jaur audir privilege soit pour delaissement aux juges d'Eglise, on pour auire chose: s'il n'est constitue es Ordres sacres, & pour le moins sous diacre Clerc actuellement residant & servant aux offices, ministres & benefices qu'il tient dans l'Eglise. Id est: Ut nemo subditorum nostrorum se Clericum allérens valeat dicto privilegio gaudente, sive ut ad Ecclesiasticos Judices remittant, sive alia de causa, nisi sacris Ordinibus initiatus sit, saltem subdiaconus, aut Clericus actu residens & inserviens officiis, ministeris & beneficiis quæ in Ecclesia possiderit.*

XXVI. At postmodum ad instantiam Cleri declaravit Rex, quod etiam Clerici Scholares actualiter & sine fraude studentes, & omnes Beneficiati privilegio fori uterentur. *Les Ecclésiers actuellement étudiants, & sans fraude, & aussi tous Clercs Beneficiés. Id est: Scholares actu, & dolo deposito Studentes, omnesque insuper Clerici beneficiati.*

XXVII. Per hanc moderationem Edictum Regium ad terminos Concilii Tridentini reductum appareat; nisi quod Synodus tantum requirat, ut Clericus aliqui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat; quod fieri potest, tametsi nullum Beneficium habeat, moderatio vero Edicti tantum præter Scholares excipiat Clericos Beneficiatos. Sed quidni dicamus, Clericum, qui aliqui Ecclesiæ de mandato Episcopi servit, ad mentem Regi Edicti pro Beneficiato esse reputandum; quod & Edicto anni 1571. art. 14. declaratum est in verbis: *Ceux qui serviront actuellement à l'Eglise jauront du privilege de Clericature & Tonsure. Id est: Qui actu inservient Ecclesia, Privilegio Clericatus & Tonsuræ gaudebunt.*

XXVIII. Unde & S. Congregationem declarasse refert Fagnanus ad Cap. 1. §. De Foro comp. num. 22. quod Clericus incendis in habitu & Tonsura Clericali gaudeat privilegio, si aliqui Ecclesiæ serviat, etiam sine mandato Episcopi; aut studiat in aliquo Seminario, vel Schola, aut Universitate cura licentiam Episcopi; quia etiam celstante mandato aut licentia Episcopi, habetur finis præcipuum Concilii.

XXIX. Et hæc quidem, si non apparet, Clericatum fuisse suscepunt in fraudem fugiendi iudicij secularis. Si enim post delictum coniurisim fuisse Clericatum, & ex circumstantiis satis constet, id in fraudem factum esse, sat convenienter Doctores, hujusmodi Clericum prætextu suscepti Clericatus jurisdictionem laicam declinare non posse. Indicium autem fraudis haud obscurum erit, si mox à perpetrato delicto Tonsuram suscepit, ut recte monet Rousellius lib. 4. Hist. Pontificie juris d. c. 3. n. 48. Nam ex vicinitate vel diuturnitate temporis dolus præsumitur esse aut absesse, ait Rousellius. Carterum late de hac questione per varias distinctiones agit Fagnanus ad Cap. MAGNUS, §. De Obligatis ad rativocinio.

XXX. Cum Synodus Tridentina jam dictas conditiones in Clerico requirat, ut privilegio fori gaudente queat, recte post Ricciu[m] innot Zypæus titulo De Foro comp. num. 43. Clericos non ferventes conditiones hic expressas excludi à privilegio fori, nullæ etiam prævia monitione.

XXXI. Hoc tamen privilegium non absoluè amittat Clericus, qui vestes Clericales deposituit; sed tantum pro eo tempore, quo eas non gestat. Si enim resumptus vele & Tonsurâ Clericali aliqui Ecclesiæ de mandato Episcopi deferviat ad præscriptum Concilii Tridentini, non apparet, cur tunc pri-

vilegio gaudere non debeat; quandoquidem tunc habeat omnes conditio[n]es à Concilio requisitas; & ita voluntate S. Congregationem refert Fagnanus loco citato.

C A P U T IV.

Coram quo Causæ criminales Episcoporum examinanda & terminanda:

- 1 Causæ criminales Episcoporum olim in Synodis Provincialibus terminatae.
- 2 Probatur ex Synodo Nicena.
- 3 Canonem Nicenam judicium Episcoporum deferre Synodo Provinciali, probat Concilium Constantinopolitanum primum.
- 4 Luculentor idem evincit Epistola Patrum Africanorum.
- 5 Disciplinam Niceno Canone expressam confirmat Synodus Antiochenæ.
- 6 Eadem disciplina asseritur in Concilio Sardicensi.
- 7 Synodus Sardicensis permittit interdum renovari judicium Synodi Provincialis.
- 8 Renovationem non permittit nisi causâ cognitâ.
- 9 Cognitionem causâ Synodus refert Episcopo Romano.
- 10 Pendente causâ renovationis coram Episcopo Romano nullum in locum damnavi Episcopi ordinari voluit Synodus.
- 11 Si Episcopus Romanus judicium renovandum censeat, renovationem committere potest propinquis Episcopis Provinciæ.
- 12 Potest etiam committere aliquos è latere suo, qui cum Episcopis Provinciae judicium renovant.
- 13 Referunt summarie iensia Canonicum Sardicensium.
- 14 Canonibus Sardicensibus quoad judicium Episcoporum in primis instantia consonat Synodus Calchedonensis.
- 15 Eamdem disciplinam expressit Gelasius II.
- 16 Disciplina hoc mutari caput circa faculum 8. occasione collectionis Isidoriana.
- 17 In hac coll. Etio[n]e referunt sub nomine Iulii Papa Epistola Decretalis, causas Episcoporum reservans Sedi Apostolice.
- 18 Similis Epistola refertur sub nomine Eleuterii Papa.
- 19 Quanto aplausu halitera Decretales fuerint recepta remissive.
- 20 Hinc invulnus, Episcopos non nisi à Sede Apostolica indicari posse.
- 21 Id seculo 9. assertus & vindicavit Gregorius IV.
- 22 Secundo 10. eadem opinio ubique penè recepta.
- 23 Tamquam indubitata proponitur in Dictatu vulgo Gregorii VII.
- 24 Decretalibus veterum Pontificum autoritatem non exiguum conciliauit Decretum Gratiani.
- 25 Retulit Gratianus Decretales reservantes causas Episcoporum Sedi Apostolicae in sumum Decretum.
- 26 Retulit quoque Canores afferentes easdem causas Synodus Provincialis; atque hinc distinctione inter graviores & minores causas Episcoporum.
- 27 Hanc distinctionem non obscurè amplexus est Innocentius III.
- 28 Eamdem distinctionem jam pridem proposuit antiquus Glossator Sanctionis Pragmatica.
- 29 Conformerat ad hanc distinctionem causas graviores criminales Synodus Tridentina commitit Summo Pontifici.
- 30 Causas minores remittit ad Synodum Provincialalem.
- 31 Huic Decreto Cardinalis Lotharingius apponi voluit particulariam, Salvis Provinciarum privilegiis.
- 32 Nonnulla omisit in Decreto, ne offendentur Galli.
- 33 Decreto, antequam promulgaretur, diffiduit Orationibus Regis Galliae.
- 34 Nota Oratoris Regis Christianissimi in hoc Decretum.
- 35 Observationibus Galliaris consonant observations Belgicae.